



Disputatio juridica inauguralis de locatione conductione

<https://hdl.handle.net/1874/343257>

32

D I S P U T A T I O J U R I D I C A A M
I N A U G U R A L I S
D E
L O C A T I O N E
C O N D U C T I O N E ,

Q U A M
P R Ä S I D E D E O T E R O P T . M A X .

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D . JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ Anatomes & Botanices Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus Consensu & Alma
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,*

P R O L I C E N T I A ,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus , &
Privilegiis ritè ac solenniter consequendis ,

Publico Eruditorum examini subjecit

M I C H A Æ L H A R M E S , Bremensis.

Ad diem 18 Octobris , loco horisque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ **F R A N C I S C I H A L M A ,** Academizæ
Typographi , clc lcc LXXXVI.

MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS AMPLI-
SIMIS, PRUDENTISSIMISQUE VIRIS,
DOMINIS, DOMINIS,

CONSULIBUS,
SYNDICO &
SENATORIBUS,

Famigeratissimæ Reipu-
blicæ Bremensis PA-
TRIÆ, PATRIBUS
dignissimis, vigilantissimis,

Dominis, Mecœnatibus, Evergetis
per omne ævum submissè colen-
dis observandis,

*Disputationem hanc inauguralem in
obseruantiae, gratique animi Symbolum eâ
quâ decet reverentiâ dicat & consecrat*

MICHAËL HARMES,
A U C T O R.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
LOCATIONE CONDUCTIONE.

PRO O E M I U M.

um graves ob causas animo volverem meo Academie valedicere sub-
sellis, & dignitatem quandam pro exantlatis in jure laboribus af-
fectare, ad eam verò consequendam aliquod studiorum meorum spe-
cimen, oculis proponere statuerem, diu dubius habebam, quanam
potissimum materia ex vasto juris Oceano mihi esset eligenda, tan-
dem non incongruè fatturum me autumabam, si ex eis materiis unam produce-
rem, que respectu quotidiani usus, sive publicæ utilitatis prævalent: eas nunc
meditando percurrent, postremò ex omnibus una Locationis-Conductionis mate-
ria arrisit, quam hinc pellibus exarata pro Disputatione Inaugurali in præsentia
offerò. Rem igitur ipsam missò ulteriori preloquio, divinâ favente gratiâ, Chri-
stique auxilio humiliter implorato, aggrediar.

T H E S I S I.

Nim verò ne illotis, ut ajunt, manibus, postpositâ Gaii
J.Cti. in l. 1. ff. d. O. f. admonitione, ad tam nobilis tamque
egregiæ materiæ explicationem me accingam, & singula à
vertice ad calcem usque, quoad ejus fieri potest, & vires
mæ valent (omnibus siquidem numeris absolutum opus
edere, & quod nullius reprehensionem incurtere possit, non
humanæ est operæ sed divinæ potentiae ac sapientiae) perstringam; prius di-
versas ejus significationes exutere operæ pretium esse existimo.

II. *Locatio* autem dicitur à *loco*. Hinc *locare* quasi locum dare dicitur qui
pro certa mercede alteri dat locum in ædibus vel in fundo suo, quod gene-
raliter usu obtinuit, ut locare dicerentur, qui rem alteri fruendam non gratis,
sed ob aliquid concedunt. *Wef. b. n. 2.* Hinc *locare* conducere nummos (h. est
scenori dare, & accipere) apud Horatium. Deinde vocabulum locationis à
loco dictum esse, vel hinc colligere licebit, quod locare propriè sit in loco po-
nere. Unde illud vulgatum, *eadem sede locari & vet. locarium dictum*, quod
pro stabulo vel taberna mercedis loco dabatur. Varro 5. de ling. lat. Non aliter
atque *solarium* appellatur quod pro solo expenditur. Porro locare significat
impsum dare. *Conducere* dicitur ex cum & ducere, quod conductor una cum

4. DISPUTATIO JURIDICA

domino rem ad suum usum & utilitatem duxerit, &c. Heic loci *Locare* in *locatione fruendi* dicitur quid dare utendum vel faciendum, *conducere* rem utendam accipere mercede solutā; in *locatione vero faciendi* sive *opera* ut plurimū nō men *locare* & *conducere* confunditur; quā tamen difficultas facilē tolli potest, si distinguamus inter *Operam* & *Opus*, is quippe qui operam præstat *intuitu opera* dicitur *locator* *intuitu* verò *operis conductor*, & vice versa, qui cā utitur *operā respectu operis* dicitur *locator* & *respectu opera conductor* l. 11. §. pen. l. 13. §. 1. & 3. l. 19. §. 7. ff. b. Et quamvis aliud sit *locare*, *verleihen*, *vermieten*, *verpachten*, *verdingen*, *verheuven*, aliud *conducere*, *bestehen*, *mieten*, *pachten*, *heuren*, *dingen*, sèpè tamen alterutro vocabulo totus significatur *contractus* l. 19. 20. a. act. emt. dum *consensualis* est & *verus*, nominatus ex utraque parte obligatorius & b. fidei §. unic. de obl. que ex conf. Pichard. b.

III. Hisce jam missis circa τὸν θηγαφλῶν, & verborum differentias, quę semper, frequenter & perpetuò his conveniunt, ab ipsa rerum forma sc: deductis, transibo ad *contractus* hujus definitionem seu descriptionem, qui hand incongruè sic definitur quòd sit *Contractus Jur. Gent.*, b. fidei, *consensu constans*, *de re utenda vel facienda pro certa mercede*.

IV. Dixi *Contractus*. Sine dubio enim est *contractus*, & quidem solo consensu initus l. 1. b. emtione proximus, & qui iisdem ferè juris regulis continetur pr. f. b. l. 2. ff. eod. Dixi *Jur. Gent.* l. 5. d. f. & jur. §. 2. f. d. f. N. G. & C. b. fidei §. 28. f. de act. l. 23. d. R. f. R. est, quia non solum venit, quod dictum, & de quo contrahentes pepigerunt expressè, verùm etiam quod æquitas naturalis suadet. *Consensu constans* pr. f. d. obl. ex conf. ideo nec traditionem, neque verba neque literas requirit l. 1. 14. b. l. 24. C. cod. l. 17. C. d. p. t. ibi Gothofr. fitque *consensus* ille vel tacitè vel expressè l. 13. §. f. b.

V. Dixi *de re utenda vel facienda*. exinde apparet dilucidè *locationem* esse vel rerum vel factorum; operarum à personis præstandarum dari *locationem* conductionem, idque ad distinctionem rei quā dicitur *locari*. Is enim in *rei locatione* dicitur *locator*, qui rem putā insulam utendam, vel fundum fruendum dat acceptā certā mercede, in operarum *locatione* diverso respectu quis dicitur & *locator* & *conductor*, de quo suprà pluribus egi, interim vid: l. 19: §. pen. l. 38. ff. b. l. 22. §. 2. l. 26. 36. 51. §. locavil. 58. eod. Addidi ultimò in definitione pro *certa mercede* pr. f. b. l. 52. d. D. int. V. & Ux. l. 2. 25. b. l. 1. §. 9. depositi, unde evincitur si contrahentes nullam mercedem expreßerint, nec ad certum locum vel tempus se expressè retulerint, non esse veram *locationem* Pin: ad rubr. C. d. resp. vend. p. 2. c. 3. n. 5. Wes. in §. 1. f. b. & in §. f. vers. & ideo f. d. mand. excluditur etiam hīc *commodatum*, *precarium* & *mandatum*, qui *contractus* sunt *gratuiti*, etiam *removentur* omnes *contractus innominati* in quibus certa merces non intervenit.

VI. Sufficiant hēc ad Definitionis exegesin, vidamus jam *Locationis-Conduktionis*

I N A U G U R A L I S.

Etionis substantialia, & constat quemadmodum in Emtione ita quoque in hoc contractu tria reperiri: I. Consensum. II. Rem S. factum. III. Mercedem.

VII. *Quod ad primum*, sit nudo & solo CONSENSU, utcunque declarato l. 1. 14. ff. l. 24. C. b. pr. I. b. modò sit liber l. 11. 32. C. b. (Rustici tamen, si illorum planè nihil intersit arg: l. 21. C. mand. l. 14. C. d. contr. emt. Pift: obs. 101. Carpz. 1. R. 58. re integrâ, suo Domino potius quâm extraneo operas pro codem pretio locent Carpz. 1. R. 59.) Tacito autem utriusque consensu ab initio vix potest contrahi arg. l. 23. comm. div. quæ enim locatio est ubi certa merces non est definita? vid. §. 1. I. b. Bach. V. 1. D. 29. th. 1. lit. c. verb. vel tacitè semel tamen contracta locatio tacitè renovatur (cum iisdem qualitatibus & pactis v. c. pignore &c. quibus prior constabat l. 13. §. f. l. 16. C. b. non etiam quæ à tertii arbitrio dependent ut fidejussio l. 13. §. fin. ff. l. 7. C. ibi Barbos.) si nim. conductor tempore conductionis impleto, sciente & paciente locatore, vel ejus herede aut curatore in conductione non modico temporis spatio (Fran. b. n. 21.) maneat, tunc enim tacitè renovata censetur l. 13. §. f. l. 14. b. l. 16. C. eod. & quidem in prædiis rusticis, regulariter ad annum, licet prima ad lustrum fuerit contracta d. l. 13. §. fin. Mantic. d. tac. conv. r. 15. n. 2. in Urbanis verò, quorum quolibet tempore uniformis est usus, pro eo tempore, quo quis finitâ primâ locatione habitavit l. 13. §. fin. b. vid. Fran. b. n. 13. &c. quæ sententia à plerisque JCtis recipitur & videtur magis convenire verbis Leg. 13. §. fin. probarique ex collatione quam JCtus facit inter prædium rusticum & Urbanum. Ratio differentiæ videtur esse, quod in prædio rusticó semel tantum in anno fructus nascantur, in urbano verò qualibet anni parte fructus cedant (interim moderatè agatur cum inquilino arg. 19. d. serv. Groenw. ad l. 16. C. b. n. 6.) sed variant hinc mores in plerisque enim locis per semi annum in prædiis urbanis locatio renovatur: quod si in scriptis certum locationis tempus sit expressum ad illud ipsum conductio renovata videtur l. 13. §. f. b. infin. Fran. n. 24. b.

VIII. *Secundum substantiale requisitum contractus hujus est RES seu FACTUM.* Quod ad res attinet, regulariter Locatio-Conductio est omnium rerum in commercio quæ usu non consumuntur arg. l. 31. b. l. 3. §. fin. comm. Zoes. n. 25. b. five sint in corporales Carpz. l. 5. R. 15. n. 1. V. C. jus vestigialis l. 4. C. vestig. nov. inst. non poss. Ususfructus §. 1. I. d. usu & hab. l. 18. C. d. jur. dor. l. 9. §. 1. b. Caroc. d. loc. 2. q. 38. & seqq. habitatio §. 5. J. d. usu & hab. l. 13. C. d. ususfr. An & hodiè Jurisdictio? communis est DD. opinio quam confirmat Capz. l. 5. R. 15. n. 3. prædio, cui jurisdictio adhæret locato, etiam jurisdictionem locatam videri. Non etiam jus monetæ cudendæ. Edict. monetal. de Anno 1559. §. ferner als sich auch. Carpz. 5. R. 18. nec servitus §. 1. I. d. usu & habit. vid. l. 12. §. 5. l. 44. eod. five Corporales mobiles & immobiles, etiam alienæ l. 7. 9. §. f. b. ita ut locator mercedem exigere possit pro tempore quo

6 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

conductor illa usus est l. 9. §. f. b. tenetur tamen conductori ignorantia ad intellec-
tus, si Dominus rem vindicet l. 7. 8. 9. pr. b. Fran. n. 45. b. &c. non obstante
quod locator ignoraverit rem alienam esse arg. l. 9. pr. l. 19. §. 1. b. nisi forte
paratus sit conductori praestare aliam rem aequem commodam vel iustam ignoran-
tiam docere possit l. 9. in pr. b. arg. l. 19. §. 1. in fin. l. 33. b. vid. Bus. ad l. 7. 8.
b. n. 2. De rei communis locatione consule Gomez. 2. c. 3. n. 14. Item ipsa res
conducta alteri aequem idoneo ad eundem usum potest locari l. 6. C. b. l. 7. b. (hu-
jus tamen e. g. res inventa primo locatori obligantur pro ea parte quam conduxit
l. 11. §. 5. d. pign. act.) Res aestimata, taxationis, vel si conductori placuerit,
venditionis gratia Lugo d. I. & I. disp. 29. sett. 5. n. 71. Non etiam regulariter res
conductoris propria l. 9. §. fin. ff. l. 20. C. b. l. 45. d. R. f. etiamsi conductor
sciat rem suam esse arg. l. 16. d. contr. emt. nisi praecesserit justus titulus, ut si
vendor ante rei traditionem eam ab emtore conduceret: tum enim emtoris no-
mine incipit possidere arg. l. 77. d. R. V. Fran. b. n. 51. vid. l. 20. §. f. & l. seq.
b. Dominus pignoris illud recte a creditore conduceit l. 37. d. pign. act. l. 37. d. A.
& A. P. Feudum à Vasallo b. fide etiam sine consensu Domini cap. un. §. do-
nare 2. Feud. 9. & ad longum tempus arg. d. c. junct. l. 39. ff. l. 10. C. b. Finc-
kel. d. feud. exerc. 9. tb. 15.

IX. Non solum verò Res possunt locari, sed etiam FACTUM S. OPERA.
Defacto in genere notandum, quod debeat esse honestum l. 15. d. condit. instit.
locari solitum, & mercede aestimatum l. 5. §. 2. de praescr. verb. V. C. (tabulam
pingere d. §. 2. onus vehere l. 13. §. 1. b. alterius servum custodire l. 1. §. 9. de-
positi rem suam pro alio oppignorare l. 19. §. 1. d. pres. verb. &c.) etiam alienum
l. 25. per. tot. d. op. lib. l. 3. d. usu & usufr. leg. & potest conductor operas con-
ductas, si de contraria non constat contrahentium mente, alteri iterum locare
l. 48. b. arg. l. 7. ff. l. 6. C. b. Facta autem non mercenaria, quæ animi potius
quam corporis virtute praestantur, veluti liberalitate ut manumissio l. 5. §. 2.
d. prescr. verb. vel singulari eruditione, quæque pretio nummario non ita aesti-
mari possunt locari nequeunt. l. 1. §. 5. ff. d. extraord. cogn. quorum tamen gra-
dus sunt, alia enim sunt praestantiora, alia minus praestantia, de illis taxari non
solitis vid l. 5. §. 2. d. prescr. verb. l. 1. pr. si mens. fals. mod. dix. Bach. v. 1. d. 29.
ff. 2. lit. G. Fran. b. n. 58. &c. Pro hisc sc. minus praestantibus factis, videtur
honorarium aliquando actione ex contractu peti posse per l. 6. ff. mandati.

X. Restat tertium subst. req. nempe MERCES, quæ est pecunia numerata,
quæ usus rei vel opera aestimatur arg. pr. f. b. l. 26. §. 1. d. furt. l. 1. §. 9. depos.
debet hæc (1) vera esse, non simulata, sive dicis gratia, donationis enim gra-
tia si res utenda datur non est locatio conductio l. 20. §. 1. b. arg. l. 36. 38. d. contr.
emt. sed tum negotium subsistit vi donationis l. 3. 9. C. d. contr. emt. neque valet
hic contractus si res alicuius momenti uno nummo locetur l. 46. b. l. 10. §. fin.
d. acq. vel am. poss. (2) certa vel expressa ex determinatione contrahentium, vel
rela-

I N A U G U R A L I S.

relatione ad aliud, item si in arbitrium tertii ea definitio collata sit *l. 25. in pr. h.*
 §. 1. *J. b.* si is non definiverit irrita est locatio, si dixerit standum est omnimodo *§. 1. J. d. emt. vend. §. 1. J. b.* sive æquum sive iniquum dixerit arg. *l. 27.*
 §. 2. *d. recept. qui arb.* quod tamen limitandum nisi læsio sit ultra duplum *l. 2.*
C. d. refc. vend. neque recurritur ad arbitrium alterius secundum generalem Ulpiani responcionem in *l. 43. d. V. O.* nisi ab fraudulentam inæqualitatem, hoc enim casu provocatio ad arbitrium boni viri conceditur arg. *l. 78. & seq. pro ficio.* Quæ merces justa dicatur, maximè in locatione operarum, consule Bonacini. *d. contract. d. 3. q. 7. punct. 4.* Denique debet consistere in *pecunia numerata* quod licet à Neoteris in controversiam vocetur putantibus eam etiam in quavis alia re fungibili quæ pondere numero, mensurâ constat, posse consistere, modò æstimata ex *l. 8. & 21. C. h.* tamen contrarium probatur & confirmatur aperte per *l. 25. §. 6. h.* per *l. 5. 2. de prescr. v. b.* ubi illa differentia constituitur inter locationem & contractum innominatum, quod in uno interveniat, pretium in altero non. Nec admittitur exceptio pecunie vocabulum hic generale esse, & sumi pro omnibus rebus *l. 178. d. V. S.* illam enim significationem predictæ *l. 178. d. V. S.* respuunt cum primis *l. 1. 5.* ubi expressè aliis rebus opponitur, nec ita responderi potest ad *§. 2. eod. v. b.* ubi merces locationis comparatur cum pretio emtionis. Pluribus hęc confirmant Hahn. *n. 6. & 7. b.* Vinn. ad *§. 2. J. b.* Christin. *Vol. 3. dec. 109. n. 12.*

XI. Quod ad formam Locationis Conductionis, præterquam quod consensu perficitur, ut jam monuimus, insuper attendendum huic pacta, arrham pignus, scripturam *l. 13. §. fin. fidejussionem l. 7. C. h.* conditionem *l. 20. h.* etiam tempus modicum, & longum, imò perpetuum *l. 10. C. h.* Fran. *b. n. 36. &c.* posse accedere. Hac ratione locatio alia temporalis alia perpetua dicitur: & est perpetua quæ in perpetuum vel saltem in longum tempus, temporalis quæ ad certum tempus constituitur *l. 9. §. 1. l. 14. in pr. h.* Quid juris si nulla temporis mentio facta est? *¶* Locationem prædiorum rusticorum in annum, urbanorum verò & similium rerum, ut & operarum tam diu solummodo, quoad alteruter contrahentium renunciet, factam videri arg. *l. 13. §. fin. h.* vid. Fran. *n. 44. & Mev. ad Fus. Lub. l. 2. t. 8. art. 2.*

XII. Hisce ita explicatis, verbo (quia quædam negotia sunt, de quibus fuit dubitatum utrum pro emtione venditione, an pro Locatione conductione habenda sint) præcipuam hujus contractus cum aliis affinitatem duobus dubiis exemplis, demonstrabo: prius & facilius exhibet *§. 4. l. b.* Convenisti cum aurifice de annulis certi ponderis ex suo auro tibi conficiendis certo pretio, quæritur emtio venditio sit an locatio conductio? Putavit *Cassius* simul esse venditionem & locationem, id est aurificem vendere aurum & locare operas suas ad faciendum annum; sed hęc sententia displicuit quia eadem res non debet diverso iure censi *l. 23. d. usc.* Facile igitur paulò expendentes penitus conventionen-

hanc

8 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

hanc intelligemus unum esse contractum venditionis ita ut pretium detur pro annulo: distinguamus itaque cum Imperatore, aurifex vel facit annulum ex suo vel ex meo auro, priori casu est venditio annuli: posteriori casu est locatio opera. Utique casus ex utroque contractu mixtus est, sed à potiori fit denominatio l. 2. §. 3. b.

XIII. Alterum exemplum est de *Emphyteusi* quod repræsentat §. 3. I. b. æquè ibi dubitatum fuit, donec Zeno Imp. eam accuratius circum scriberet statueretque, propriam ejus esse naturam §. 3. I. b. l. 1. C. d. jur. emphyt. Ab aliis enim contractus hic habebatur pro Locatione nimirum propter annum pensionem sub qua exemplo locationis contrahitur, ea Lege, ut quamdiu Domino hæc solvatur, tamdiu neque ipsi colono, neque ejus successoribus prædium auferri possit. Eò facit plenissimum jus utendi, & veluti dominium quoddam, quod & in heredem & alium quemvis licet transferre; unde etiam ei, cui hoc jus constitutum est, utilis in rem actio contra quemcumque possessorem competit l. 1. §. 1. s. ag. veetig. Et quid mirum quosdam pro venditione hunc contractum accepisse? dixeris sanè hic esse venditionem si spectes id, quod agitur de dominii utilis translatione. Certum igitur est peculiarem & distinctam ab emtione & Locatione jam habere naturam quibus cum antea erat confusus. Definitur *Contractus*, quo alteri jus constitutur, ut prædio vel re immobili uti frui posse, perpetuò sub Lege meliorationis & præstatione canonis anni §. 3. I. b. vid. tit. 66. lib. 4. C. Nov. 7. c. 4. Nov. 55. c. 2. Nov. 120. c. 6. §. 1. &c.

XIV. Satis longa fuit digressio redeamus ad Locationem Conductionem cuius convenientiam cum Emotione Venditione aliquatenus habuimus, nisi hoc velimus addere, uti per emotionem, saltem si non subsequatur rei traditio, tantum jus ad rem est adquisitum, non in re, ita per locationem res conducta non est affecta uti loquuntur pragmatici l. 39. b. ibique *Gothofr.* uti prædii servitus, divendi nequit sine prædio quod prædio cohæreat, ita nec ea locari sine subjecto poterit l. 44. b. uti in emendo vel vendendo ita etiam in locando & concedendo licet naturaliter contrahentes (citra tamen fraudem & dolum) invicem circumvenire l. 16. in f. d. min. l. 22. §. 3. b.

XV. Ut verò contraria juxta se posita magis elucescunt ita visis convenientiis etiam discrepantie emotionis & locationis collocandæ erunt. Et est quidem proxima imò in multis emotioni venditioni comparatur locatio, multis tamen nominibus ab eadem etiam distinguiri indubitate juris est. Etenim in Locatione merces est, in emotione pretium. l. 5. §. 2. d. prescr. verb. l. 1. §. 9. depos. l. 23. comm. div. Ulterius, in locatione non nisi usus vel fructus rei, si de re utenda vel fruenda agatur, conceditur: neque enim locatio dominium mutare solet l. 39. b. in emotione verò res ipsa traditur, & per traditionem dominium transfertur l. 80. § 3. d. contr. emt. Excipe locationem insula facienda l. 22. §. 2. b. In locatione conductor non fert periculum rei de casu fortuito, ut emtor sed tantum de

I N A U G U R A L I S.

de culpa tenetur propter generalem regulam in l. 5. §. 2. comm. l. pen. b. ibi non est justus titulus, seu causa habilis ad dominium transferendum, hic vero titulus est, ad quem si traditio accedit, dominium transfertur. Ibi non est locus ædilitis Edictis, de redhibitione & quanti minoris, quæ tamen in contractu Emptionis admittuntur l. 63. d. adil. edict. denique ibi adjicitur tempus ultra quod (nisi tacite renovetur) se non extendit locatio, quod tamen frustra emptioni adjiceretur, nisi ut intra certum tempus res vendita retrovendatur, non autem ut finiatur contractus. vid. sis l. 2. C. d. pact. int. emt. & vend. comp. l. 6. C. d. act. emt.

XVI. Materiâ Locationis Conductionis quodammodo sic dilucidatâ, opus est ut despiciamus, quinam locare conducere possunt, & quidem omnes qui contrabendo se obligant, nec specialiter prohibentur, quales sunt.

XVII. Primo MILITES, qui sub pena infamiae non possunt aliena prædia conducere l. 31. l. fin. C. b. l. 15. 16. C. de re mil. ne, ut Imperator loquitur, armorum atrocitatem, quam adversus hostes ostendere debent, in cives convertant. Secundo CURIALES, si res alienas conduixerint l. 30. C. b. l. 4. ff. d. decur. nisi forte domum cum propriam non habeant conduixerint Bald. in d. l. 30. &c. Tertiò CLERICI quoad possessiones seculares Nov. 132. C. 6. vid. Groenw. ad. d. C. 6. Quartò TUTORES & CURATORES necdum redditis rationibus, ob majorem minorum securitatem, prædia fiscalia & Cæsaris patrimonialiæ conducere vetantur l. 49. pr. §. 1. b. l. un. C. ne tut. vel cur. vett. cond. Coll. Jur. Arg. b. n. 14. Quid dicendum de fabris, victoribus & sim. artem suam cum strepitu exercentibus illine domum juxta literatorum ædes, hisce invitis & contradicentibus conducere, & ibi artem suam exercere possunt? Negativa verior est argum. l. un. C. d. stud. lib. urb. Rom. quod & usus receptum esse docet Carpz. 2. C. 37. def. 23. & C. J. Arg. b. n. 14.

XVIII. Ex hoc Contractu nascitur duplex obligatio quarum illa producit Actionem locati, hæc conducti. Actio locati datur Locatori & heredibus l. 24. 29. C. b. adversus conductorem & heredes dd. ll. ut mercedem pro usu rei aut prestita operâ solvat, & rem cum omni causa finitâ locatione restituat fariendo damnum culpâ lata aut levi commissum pr. I. b. An & competit singularibus successoribus, ut si locator rem locatam venderit donaverit aut alio modo transtulerit? Tuemur negativam & dicimus producere tantum actionem personalem inter locatorem & conductorem in quam singularis successor non succedit l. 25. d. O. & Act. quemadmodum è contrario adversus heredes quidem datur sed non contra singulares successores l. 9. b. idque ob eandem rationem tum quia emtor accipit dominium rei, cuiusvis liberè potest de ea disponere, non ergo tenetur stare locationi à venditore factæ, idem etiam responsum est de legatario l. 32. b. l. 120. §. 1. d. Leg. 1. item de fructuario l. 59. §. 1. d. usufr. Prædicta tamen sunt limitanda, nisi forsitan eâ Lege fundus sit venditus ut em-

10 DISPUTATIO JURIDICA

tor teneatur locationi stare l. 9. C. b. l. 25. §. 1. b. vid. Fabr. b. Diff. Bronch. alii quoque casus extant in l. fin. inf. d. jur. fisc. l. 8. §. 1. de reb. aut. jud. poss. an secundum DD. communem opinionem, conductor hypothecarius ab emto- re non possit expelli consule Sand. lib. 3. def. 7. tit. 6. qui sic in Frisia judicatum refert. Mirè hīc variant mores vid. Matth. d. auct. alibi sequuntur Jus Civ. & utuntur hoc diverbio *Kauf gehet für miethe*, alibi contrarium obtinet *miethe gehet für Kauf*. Præstat hīc observari cuiuscunq; Regionis, provinciæ civi- tatisc; statuta. Interim vid. l. 9. C. b. l. 25. §. 1. b. Carpzov. 2. confit. 37. def. 4. & Groenw. d. ll. abr. ad. d. l. 9. n. 4. ibi huur gaat voor Koop.

XIX. Specialiter petitur hac actione ut conductor solvat *mercedem* unā cum usuris si fuerit in mora l. 2. 17. C. b. eo tempore quod vel partium conventio vel mos regionis assignat l. 34. d. R. I. arg: l. 8. C. b. Si nihil convenerit regulari- ter, finito usu, si sc: ad modicum tempus facta sit locatio, merces præstatur, aut operis absolutis arg. l. 16 C. b. Fran. h. n. 78. nisi loci consuetudines aliud suadeant d. l. 34. d. R. I. quemadmodum hodiè plerumque merces ædium con- ductarum præstatur singulis semestribus ut inter alia in Rep. nostra BREMENSI & in urbe hac TRAJECTINA receptum est. Romanorum more videtur solutio mercedis pro ædibus Kalendis Julii facta fuisse l. 9. qui pot. in pign. l. 58. d. usfr. uti Belgarum Kalendis Maji. Sin verò ad plures annos & pensio in sin- gulos annos distributa sit, in fine cujusque anni arg. l. 1. §. 4. d. migr. l. 29. l. 140. d. V. O. quod usu passim servatur. Si *merces* ad mensuram vel in dies est constituta, etiam imperfecto opere petitur l. 30. §. pen. b. imò si conditio personæ vel operis postulet, æquum est, ut merces per partes successivè interea- dum opus sit, solvatur, modò artifex de hoc certò perficiendo idoneè caveat. Fran. h. n. 189. Si conductor *mercedem* lapsò biennio non præstet, locator po- tell eum expellere arg: l. 3. C. b. licet ab initio convenerit ne conductor invitus expellatur l. 54. §. 1. b. ea est communis Dd. opinio privatâ sc. autoritate posse moram facientem expelli, describi, concludi & retineri in domum invecta arg: l. 56. b. sed videtur haec sententia J. Civili tum demum convenire si non resistat conductor arg: l. 176. non est singulis ff. de R. f. facit l. 3. C. d. pign.

XX. Petitur præterea ut conductor finitâ locatione *rem* restituat l. 48. §. 1. b. l. 25. C. b. numero eandem arg: l. 39. b. ita quidem ut conductor locatori *rem* locatam repetenti non possit referre quæstionem dominii sed possessionem prius restituere & tunc de proprietate litigare d. l. 25. C. b. quid si conductor conventus pertinaciter rei conductæ restitucionem usque ad sententiam detre- ñet, tenetur tanquam rei alienæ invasor & rem restituere & ejus æstimationem ex constitutione Zenonis quæ est in l. pen. C. b. quæ Lex Gallorum Belgarum- que moribus obsolevit, in Germania secundum illam adhuc proceditur sed tantum ad interesse Vinn. ad pr. f. b. inf. Groenw. ad d. l. pen. C. b. postre- mó petitur ut reparetur *omne damnum* quod *dolo lata vel levi culpa* conductoris con-

I N A U G U R A L I S.

ii

contigit l. 23. d. R. f. l. 31. in f. b. & evidenter probatur per l. 3. §. 1. naut. cap. stab. interdum etiam tenetur conductor de culpa levissima, si nimis ipse tanquam artifex aliquid faciendum conduxerit l. 9. §. pen. l. 13. §. 5. l. 25. §. 7. b. aliquando & de casu fortuito ut si pacto aliquid conventum fuerit v. g. ne ignem aut scenum ibi haberet & conductor contra pactum fecerit atque sic ipsius culpa casum præcesserit l. 11. §. 1. & §. fin. b. idem dicendum videtur si equus sit locatus eo pacto, ut non nisi 5. millaria in die perageret & perfectis 7. ea de causa sit mortuus Lugo d. f. & f. D. 29. sect. 4. n. 65. In illis vero casibus in quibus conductor levissimam præstat culpam, adhibenda est distinctio casuum fortitorum quam tradit eleganter Carpz. const. 26. def. 18. Fran. b. n. 206. &c.

XXI. Explicita est locati restat *Conducti actio quæ datur conductori pr. f. l. 15. pr. b. & heredibus l. 19. §. 8. contra locatorem & heredes l. 49. d. O. & Att. ut usum rei vel operas præstet & conficiat, damnum quoque resarciat.*

XXII. Et quidem in locatione *Operarum* ad operas fideliter præstandas, liberatur tamen præstanto interesse arg: l. 13. §. fin. d. re jud. vid. Vinn. ad §. fin. f. d. V.O. Fran. b. n. 155. potest etiam operas quas suscepit alteri mandare sive locare, adversus quem hanc actionem habebit l. 48. b. modò æquè idoneè locaverit, cum magna inter Artifices sit differentia l. 31. d. solut. si usus rei sit locatus convenitur (1) ad hoc ut præstet conductori re locata liberè ut licere usque ad tempus conventum aut alioquin interesse l. 9. in pr. b. l. 33. eod. quod includit primo ut rem tradat cum omnibus instrumentis & accessionibus l. 19. §. 2. b. per quam traditionem regulariter dominium non transfertur l. 39. b. nec possessio l. 60. §. 1. b. l. 2. C. d. 30. & 40. ann. præscr. sed nuda detentio Fran. b. n. 88. Secundò ut rem habilem tradat ad usum destinatum l. 15. §. 1. b. l. 25. §. 1. eod. (2) hac actione petit conductor *damnum* quod ratione rei conductæ passus est e. g. equi vitiosi sine certioratione locati Bonacoss. tr. d. equis q. 94. doliorum corruptorum scienter vel ignoranter locatorum omne damnum & interesse l. 19. §. 1. b. ibi Bus. n. 1. & seq. si aliam rem vitiosam locaverit justâ ignorantia, tantum merces remittitur l. 19. §. 1. b. (3) petit *remissionem mercedis* vel in totum vel pro rato. Quod pertinet quæstio utrum remittatur merces, si vel casu usus rei impediatur, vel aliâ magna sterilitas, in consueta illius loci vel temporis l. 15. §. 2. b. Gail. 2. O. 23. n. 21. Miswachs, vis tempestatis aliave cœli injuria, incursum hostium, fluminis inundatio contingat? quod affirmamus, idque æquo iudicis arbitrio relinquendum putamus rationem habituri temporis, quo quis uti non potuit, ut & impediti usus. Quod quo modo fieri, & quanta læsio subesse debeat, quotque casus excipiuntur vid: ap. Struv. Exerc. 24. b. 14. & seqq. Mev. ad Jus Lub. l. 3. tit. 8. art. 1. n. 1. & seq. Carpz. p. 2. c. 37. def. II. & seq. Denique petit conductor ut servetur *indemnitas*, huc spectat restitutio

12 DISPUTATIO JURIDICA

restitutio impensarum , quas in rem conductam fecit l. 19. §. 4. l. 55. §. 1. b.
item restitutio tributorum & collectarum quas conductor ratione rei con-
ductæ solvit ; & licet fiscus in exactione tributorum possessionem sequatur
l. 7. d. publ. & vettig. Garf. d. expens. c. 14. n. 19. Klock. d. contrib. c. 11. n.
169. &c. attamen cum locator pro fructibus accipit mercedem , & sic in-
effectu frui videtur re locatâ l. 38. 39. d. usufr. etiam tributa à conductore
soluta refundere tenetur arg. l. 13. d. imp. in res dot. l. 2. C. d. ann. trib. vid. §.
3. d. via publ. Hahn. ad Wes. b. n. 16. (Idem tradunt Dd. de sumtibus metato-
rum , von einquartierungs kosten. l. 9. C. de metat. & epidem. Carpz. 2. const.
37. 37. def. 15.) nisi solus ędium usus sine alio sumtu præstetur , aut collectæ
conductoris personæ vel absolutè , vel ratione propriæ patrimonii , quæstus,
mercaturaæ , aut artificii sint impositæ , wegen dessen handel und nabrung
Hahn. h. n. 16.

XXIII. Finitur tandem Locatio-Conductio. Mutuo CONSENSU , si res ad-
huc sit integra §. ult. f. quib. mod. toll. obl. ELAPSO TEMPORE , ad quod
vel expressè vel tacitè fuit contracta arg. l. 13. §. f. & l. seq. b. È occasione
quaritur an conductor ante finitum locationis tempus ex re conducta pos-
sit recedere ? Et dicimus posse recedere sed nihilominus solvere integrum
totius temporis pensionem tenetur l. 55. §. 2. b. nisi habeat justas recedendi
causas, putà si lumina ędium conductarum vicino ędificantे obscurentur,
aut ostia sive fenestre nimium corrupte non restituantur l. 25. §. 2. b. si ędes
ruinam minentur l. 13. §. 6. l. 28. 33. d. damn. inf. item ob impetum hostium
vel latronum. l. 13. §. 7. b. Pestis causâ arg. l. 27. §. 1. ibi Gothosfr. Ripa de
peste rubr. d. priv. contr. caus. pest. quo referunt etiam metum spectrorum , illis
tamen casibus optimè conductor sibi consulit si , dummodò possit , hoc in-
dicet locatori aliàs enim deterioratâ re locatâ , conductor tenetur ad refectionem
damni , si monitus locator damnum præcavere potuisset. l. 13. §. 7. b.
Ripa d. rubr. n. 13. An & morte ? Respondet l. 10. C. b. illum viam veritatis
ignorare qui locationem-conductionem ad heredes transire non putet. Ex-
cipe casum l. 9. §. 1. b.

XXIV. Postremò conductor regulariter ante finitum tempus expelli ne-
quit l. 3. 15. 21. C. b. nisi Dominus propter probabilem causam supervenien-
tem camque non prævisam re suâ indigeat : v. g. quia ipse aut filius ejus duxit
uxorem , vel quia domus ipsius corruit , exusta est , aliudvè quid acciderit
quo cogatur ex sua domo migrare &c. Ratio enim suadet ut Dominus
præferatur l. 3. C. b. vid. Carpz. 2. const. 37. def. 6. justè etiam expellitur con-
ductor ob abusum rei locatae. Christ. V. 3. dec. 115. n. 10. vel naturalem vel
moralem putà meretrices lenones aliquosque insigniter infames recipiendo , ver-
bo turpiter & in decenter in ea versando , villas incorruptas non servando ,
propter culturam intempestivam fundum deteriorando &c. l. 25. §. 3. b. vid.
Ripam

I N A U G U R A L I S.

Ripam d. pefr. rnb. d. contr. caus. pefr. n. 29. 30. Barbos: ad l. 3. C. b. &c. Et
hęc ratione instituti mei pro Disp. inaug. hęc vice sufficiant, plura adjun-
gere tempus non patitur. Summo interim Jehovę pro largita hac tenus gratia
fit laus, honor & gloria in seculorum myriades!

13

COROLLARIA.

I.

Invocatio nominis Divini non est de essentia instrumenti.

II.

Filio exbæredato recte tutor datur,

III.

Juramentum latroni factum nullo modo destituitur.

IV.

*Venditor præstando id quod interest liberatur, nec præcisē
potest cogi ad rem ipsam tradendam.*

V.

*Beneficium l. 2. C. de resc. vend. omnino etiam ad emptorem
extenditur.*

VI.

Merum Imperium in casu infirmitatis non potest mandari.

VII.

*Emphyteus in ante Zenonem fuisse & ex jure G. oriri omnino
statuimus.*

VIII.

*Conductorem casum fortuitum in se suscipientem de insolito
quoque teneri negamus.*

F I N I S.

L E T T E R - K R A N S,

Gevlogten ter eeren van den sedigen en geleerden

H E E R

MICHAËL HARMES.

Als by na een heftige en deftige Redenfrijdd

(Van het HUIREN en VERHUIREN) met een
aansienlijke eer-naam begiftigt wierde in de
Hooge-School tot U T R E C H T.



Elijk in d'Oorlog noyt een Veldheer lof
verdient,
Eer dat hy dapperlijk den vyand heeft be-
vogten,

En ganschelijk vernield; Soo wilt gy ook mijn vriend
Geen praal-loov, dan na welgelukte lettertogten.

Gy treedt dan (als een fiere Leeuw) vol vier en moed
Na't Letter-Worstel-perk om daar aan elk te toonen

Wat meester-streken gy geleert hebt, dies gy doet
Verschrikken ieder een, die u eerst dagt' te hoonen.

U Tegenstrevers sien, dat niemand van hen allen
Kan tegen u alleen bestaan, men sietse vallen.

U siet men na verdienst seer heerlijk Zegepralen,
En na veel vlijt en strijd een pronk-Laurier behalen.

*Hec paucia in sui memoriam & præstantissimi Candidati
honorem rudi Minerva cecinit*

SUFFRIDUS DE BUCQUOY,
Juris Candidatus.
SYMBOLUM

Momos contemnere didici.

(2)

Candidulo si pondus habent de rore madentes
Applausus, pura Votaque pita manu;
Cor prurit plausu, scripturit Dextera Vota,
Litatura avibus, mensque manusque bonis.

Quod Decus & Nomen flammis delebile nullis
Auxeris in campo nunc quoque Palladio.

Ita Nobilissimo Dn: Candidato, Amico suo Fraternè
dilecto, levi calamo hec paucula deproperabant,

ARNOLDUS JOH: } HEINII, Fratres
CHRISTOPHORUS. } Catto - Cassellani.

(3)

De Gottheit, deren macht mit glut und flammen spielt,
Und selbsten die natur an güldnen fesseln führet,
Die hatte schon, mein Freund, dein werthes haupt gezieret,
Als dich dein süßes Kind in schoos und armen hielt
Izt wird dein muntrer fleis mit neuem ruhm erfüllt.
Die heilge Themis gibt, was dir schon längst gebühret;
Die hohe würde, so den glanz niemals verlieret,
Sezt deiner Tugend hier ein ewig ehrenbild.
Glükselig der du bist, auf dessen schönen haaren
Die holden myrten sich mit weisem lorber paaren.
Du hast die Ehr erlangt nach der du dich gefehnt:
Dein glücke müsse noch den sternen gleiche gehen
Dafs dich das volle horn der reichen Amaltheen
Und stetet überfluss mit tausend früchten Krönt.

J. C. BECKHOFF.

Mille hominum species, trahit & sua quemque Voluptas
 Illa colit musas, huic Venus alma placet.
HARMES tu quæris thalamos & basia Phœbi
 Ut *Bremæ sponsa*, sis decus atque tuis.
 Dat mens docta Viam: Virtus tibi solvit honores
 Quosque negat cœcus jam favor illa parat.
 Fertilis en *Rhenus*, quæ *Bremæ Clara Visurgis*
 Non potuit, solvit laurea sertæ tibi.
 Sic genus & proavos **HARMES** Doctissime reddis
 Digne Viris tantis Digne parente nepos.
 Nunc labyrinthœ si legum errabit in orbe,
Brema simul capiet, fila diserta tua.
 Gratulor! & quos dat tibi *Justinianus* honores
 Cum famâ maneant, dum tua vita, Vale.

*Amico & contubernali meo optimo hac ad illa
 Luppii loca, quæ nomini latino unicè fune-
 sta & fatalia fuere L. M. Q. Cecini*

E. C. WATERBECK, LL. St.
Lippienfis.

Symb. fluunt effluunt-
 que tempora.

Nunc, Mater Themis alma, ades hic, *Parnassia* sertæ.
HARME S, qui recte promeret illa, dato.
Exilis mea *Musa* parat *Tibi carmina*, Frater,
Diducta arque *parum culta*, at amica tamen.
 Gratulor ergò *Tibi*, *Tua laurea* sertæ *virescant*
Fama etiam *vireat*, *sidera* donec erunt.
Gaudet *BREMA* *solum* *patrium* *Te honoribus auctum*,
Quos *TRAJECTINUM* *PALLADIUM* *tribuit*
Gratulor *ex animo*, *nos acclamamus Amici*,
Vive felix HARMES, *dulcis Amice*, Vale.

ad 1692/93 F.
 JOHANN-ANDREAS CHRIST,
 CASSELLIS-CATTUS,